DE TRIBUS

PSEUDACRONIANORUM SCHOLIORUM

RECENSIONIBUS.

SCRIPSIT

(Cornelius Wilhelm)
RICCARDUS KUKULA,
DR. PHIL.

VINDOBONAE.
APUD CAROLUM KONEGEN.
MDCCCLXXXIII.

OTTONI KELLERO

PRAGENSI

CLARISSIMO IUVENTUTIS AD HUMANITATEM INFORMANDAE

MODERATORI

STUDIORUM MEORUM FAUTORI

LIBERALISSIMO.

DISPUTATIONIS SUMMARIUM.

De temporibus, quibus scholia pseudacroniana exstiterint, Kellerus olim in „Symbola philologorum Bonnensium“ (Lips. 1867. pag. 499—502) disseruit. Ex hoc vero tempore scholiorum illorum perscrutandorum fontes valde amplificati sunt. Tunc enim cum alii libri, tum Parisin. *r* (9345), qui accuratissime scriptus posteriorum temporum interpolationes optime nobis demonstrat, ignotus erat. Itaque cum Kellero duas tantum scholiorum recensiones examinare licuisset, nobis ad tertiam quoque recensionem cognoscendam cod. *r* praesto fuit. Accedit, quod hic praeceptor meus carissimus non de Pseudacronis sermone effusius disputare sibi proposuerat, sed ex argumentis scholiorum, e rebus, quas dicunt, historicis geographicis similibus, ex scholiastae ipsius erroribus acute conclusiones suas fecerat. Omnes denique, qui praestantissimum illum librum, „Symbolam philologorum Bonnensium“, novimus, hoc in libellorum corpore, ut ita dicam, palmari singulis operis sociis minimum patuisse spatium scimus. Quo factum est, ut ne de sermone quidem Pseudacronis tam copiose agere posset Kellerus, quam ipse voluerat. Itaque vir celeberrimus me impulit, ut denuo accuratius illius auctoris sermonem perscrutarer, quippe qui speraret, fore ut novis iisque optimis fontibus reclusis nova quaedam lux adderetur quaestioni huic difficillimae. Atque profecto evenit, ut re diligentissime

perpensata, ad eum finem perducerer, ut, cum Kellerus recensionem *A* ineunte saeculo quinto, recensionem Γ exeunte eodem saeculo exstitisse affirmasset, ipse hanc non ante medium saeculum sextum, illam circa annum 450 p. Ch. n. ortam esse censerem.

Iam anno 1863 Usenerus suam sententiam promulgaverat in „Indice Lectionum Universitatis Litterarum Bernensis" („De scholiis Horatianis"). Hic enim, quamquam aliud sibi quaerendum sumpserat, quasi praetervolans nostram quoque quaestionem tetigerat Pseudacronemque scholiastam parum probabiliter Bedae vel Alcuini saeculo viguisse censuerat. Idem in Mus. Rhen. XXIII (p. 490. 491), cognito Kelleri libello, de huius sententia disseruit nec tamen quicquam novi ad hanc rem explicandam attulit.

Equidem ad hanc disputationem adhibui collationes codd. *A* (Paris. 7900 *A*) ν (Dessav. *A*) *f* (Franeker., nunc Leeuward.) γ (Paris. 7975), quas mihi Kellerus Holderusque praestiterunt, et ipse adiuvante Kellero collationem feci cod. *r*, libri pulcherrime et accuratissime scripti. Editionibus autem scholiorum ideo uti noluimus, quia et valde mancae sunt et multis erroribus scatent. Nam ea scholia, quae diversis saeculis orta sunt, in istis editis libris temere commixta apparent, adeo ut quae manifesto saeculo septimo vel etiam posterius exstiterunt, cum bona pace iuxta ea, quae quinti saeculi sermonem praestant, inveniantur. Quae cum ita sint, nemo non videbit, iam hoc ipso vitio impediri, quominus his editionibus ad quaestionem diiudicandam utamur. Sed praeterea unaquaeque editio propriis etiam vitiis laborat, quae iamiam commemorare in animo est.

Hic, ut res ipsa docet, eas tantum editiones, quae inde a medio nostro saeculo in lucem prodierunt, proferam, priores enumerare non refert. Quanti enim saeculorum

XVI et XVII editiones sint faciendae in quaestione ad sermonem Latinum pertinente, sciunt viri docti. Primum nominanda videtur editio illa, quam Fr. Paulyus Pragae anno 1858 in duobus voluminibus instituit; sed editor hic optimos codd. nondum noverat, itaque plurima scholia omissa, alia permultis erroribus inquinata sunt. Notissimam deinde et plurimis criticis adnotationibus ornatam editionem Ferd. Hauthalius praestitit (Berol. 1864. 1866. 2 voll.), sed haec nisi maxima cum cautione adhibenda non est. Hauthalius enim sine causa sufficiente longissime a traditis discedens contextum magno coniecturarum dubiarum numero onerat, praeterea ista duo volumina incredibili fere erratorum typographicorum vi referta sunt. Perexiguam denique scholiorum partem ad carm. I 1—8 pertinentem e Bernensi quodam libro (Bernens. 21) Usenerus in „Indice Lectionum Universitatis Litterarum Bernensis" anno 1863 edidit.

Nostrae aetatis editiones igitur magnis vitiis abundant, quorum illud est maximum, quod trium recensionum scholia prorsus permixta tradi solent. Unde elucebit, quamobrem de harum recensionum sermone disputans illos editores ne uno quidem loco testes proferam.

Sed ne diutius cunctemur, ad illa accedamus, quae nobis proposita sunt.

I. Quomodo pseudacronianorum scholiorum recensiones discernantur.

Scholia illa, quae saeculo decimo quinto, ut videtur, Helenii Acronis, grammatici praestantissimi, falso nomine ornata sunt, neque iisdem temporibus neque ab iisdem auctoribus conscripta sunt. Diligenter accurateque spectantem fugere non potest, quantopere scholia carm. et epod. 1 — epod. 15 init. ab iis scholiis differant, quae ad reliqua Horatii opera pertinent. Haec enim atque illa scholia diversissimam inter se praestant speciem; etiam levissimis maximeque exiguis rebus secerni possunt. Ut hoc paucis absolvam, id unum exemplum afferam, quod ab utroque scholiasta Vergilius, quem nostra scholia ad explicanda Horatii verba saepissime proferunt, diversissimo modo commemoratur, altero scholiasta omnibus locis Maronem nominante, altero Vergilium. Neque minus ambae scholiorum partes maximis rebus inter se distant, ut ratione verborum eligendorum, quod quidem ut hac disputatione diligenter illustrem, omni studio enitar.

Primum scholiorum corpus „recensionem *A*“ nominandum censuimus, quia optimus huius corporis liber est cod. *A* (Paris. 7900 *A*), alterum „recensionem Γ“ a cod. γ (Paris. 7975), qui maximae auctoritatis est ad hanc recensionem explorandam. Neque hic praetereundum est, quod magna scholiorum pars (carm. IV 3 inde ad fin. carm.

saec. epod. 1 — epod. 15 init.) in utraque recensione traditur et ab illo ignoto viro, qui recensionem Γ composuerat, etiam scholia ad carm. I 1 — IV 3, quae e recensione *A* integre perceperat, interpolata sunt. Cod. *A* antiquissimus, id quod valde dolendum est, scholia ad carm. I 1 — epod. 15 init. tantum salva complectitur, reliqua scholia amisimus, qua de causa, num scholiastes Γ, cum scholia ad epod. 15 usque ad fin. serm. epist. componeret, etiam recensione *A* usus sit, amplius indagari vix poterit.

Totius igitur scholiorum corporis partes distinguantur haece:

1. recensio *A* continens scholia
   a) carm. I 1—IV 3, quae scholia integra cod. *A* (Paris. 7900 *A*) et interpolationibus inquinata codd. posterioris scholiastae Γ, id est γ (Paris. 7975) ν (Dessav. *A*) *r* (Paris. 9345) multique alii posteriorum temporum exhibent;
   b) carm. IV 3 usque ad fin. carm. saec. epod. 1—15 init. tradita in solo cod. *A*.

2. recensio Γ continens scholia carm. IV 3 usque ad fin. epod. serm. epist., quae tradunt codd. *r*νγ ceteri. Huc spectat etiam cod. *f* (Franekeran., nunc Leeuward.), qui ad editorum dubitationes tollendas nonnumquam plurimum valet.

3. Tertium scholiorum genus, quod recensionem *r*γ nominavimus, constat ex iis adnotationibus vel glossis, quae ut in ambobus codd. *r*γ reperiuntur, ita in ν nusquam apparent.

Ergo in hac disputatione nobis operam dare propositum est, ut quaenam ratio loquendi in his tribus scholiorum partibus appareat, breviter exponamus. Quod ut consequamur, verba quarto vel quinto vel sexto vel septimo saeculo

primum ab auctoribus prolata examinabimus. Tum demum penitus quonam saeculo unusquisque scholiastes suas adnotationes composuerit, perspiciemus; deinde exponemus, quantopere tres recensiones loquendi ratione inter se distent; postremo ἅπαξ εἰρημένα addemus, quaecunque nobis in scholiorum illo corpore occurrerunt.

II. De recensionum aetate.

A. De recensione *A*.

[Scholia ad carm. I 1 inde ad fin. epod. 1—15 init. integra in cod. *A* (Paris. 7900 *A*) et ad carm. I 1—IV 3 interpolationibus referta in codd. *r* (Paris. 9345) ν (Dessav. *A*) *f* (Leeuward.) γ (Paris. 7975).]

Ut recensionis *A* aetatem exploremus, hanc rationem censeo esse adhibendam. Primum quidem ea verba, quae quarto demum saeculo in litteris apparent, brevi enumerabo, tum ex iis verbis, quae sub finem quarti et per saeculum quintum primum in publicum prodierunt, diligentius et effusius agam, postremo de iis verbis disseram, quae in glossis medii aevi similibusque litterarum monumentis apparent.

a) Verba ab auctoribus quarti saeculi primum tradita, quae in recensione *A* apparent, sunt haec:

1. **deteriorare** schol. carm. I 35, 16 *A r* γ.
   (Ambros. Symm. Claudian. Mamert.: Forcellini, Lexicon totius Latinitatis II 61. Du Cange, Glossarium ad scriptores mediae et infimae Latinitatis II 824.)
2. **dilapidatio** schol. carm. II 8, 22 *A r* γ.
   (Impp. Gratian. Valent. Theodos. in cod. Theodos.: Forcell. II 82.)

3. **historiographus** schol. carm. II 2, 1 *A r γ*.
(Jul. Capitol. Philastr.: Forcell. II 416. Du Cange III 672. Migne, Cours complet de théologie et d'Écriture sainte XII 1244. 1247. 1259. 1278.)

4. **incompetenter** schol. carm. IV 1, 1 *A r γ*.
(Impp. Honor. Theod. in cod. Theod.: Forcell. II 494.)

5. **infernalis** schol. epod. 10, 16 *A*.
(Alcim. Avit. Prudent. adv. Symm.: Forcell. II 516. Du Cange III 823 et 759 sub voce 'ignis'. Migne LX 151.)

6. **ingratitudo** schol. carm. I 5, 6 *A r*.
[Firm. Matern. (Perperam ap. Val. Maxim., ubi optimi codd. 'de gratis et ingratis' in titulo c. 2 et 3 l. 5 tradunt): Forcell. II 525. Du Cange III 833. 834.]

7. **innodatus** schol. carm. III 4, 80 *A r ν γ*.
(Ammian. Marcell.: Forcell. II 533. Du Cange III 839.)

8. **mensurare** schol. carm. II 15, 15 *A r ν γ*.
(Veget.: Forcell. III 60. Du Cange IV 363.)

9. **moraliter** schol. carm. III 6, 40 *A r γ*.
(Donat.: Forcell. III 105. Du Cange IV 544.)

10. **nimie** schol. carm. II 10, 2 *A ν γ*; III 14, 28 *A r*.
(Pallad. Jul. Capitol.: Forcell. III 166.)

11. **obviare** schol. carm. II 13, 13 *A r ν γ*.
(Hieron. Pallad. Veget.: Forcell. III 221. Du Cange IV 690.)

12. **pastura** schol. carm. II 6, 10 *A r γ*.
(Pallad.: Forcell. III 310. Du Cange V 131.)

13. **pincerna** schol. carm. III 19, 6 *Arγ*.
[Hieron. Lampr. Alex. Sev. Ascon. in Verr. (opusculum non ante quartum saeculum conscriptum): Forcell. III 397. Du Cange V 259.]

14. **pollutio** schol. carm. I 12, 59 *Arνγ*.
(Pallad.: Forcell. III 421. Du Cange V 335.)

15. **pugnatrix** schol. carm. II 11, 1 Ar_2νγ.
(Ammian. Marcell. Prudent. Psych.: Forcell III 548.)

16. **reparatio** schol. carm. I 4, 2 *Arν*.
[Prudent. Cath. (Perperam ap. Sal. Iug. 34, ubi „paratio“ legendum est): Forcell. III 636. Du Cange V 706.]

17. **repositio** schol. carm. III 14, 19 *Arγ*.
(Pallad.: Forcell. III 641. Du Cange V 712.)

18. **reprehensibilis** schol. carm. III 3, 70 Ar_2γ*C*.
(Rufin. Apol. in Hieron.: Forcell. III 642.)

19. **sentosus** schol. carm. II 9, 1 Ar_2γ (Ar_2 „sentuosos“).
(Paul. Nol. carm.: Forcell. IV 85.)

20. **titillus** schol. epod. 12, 5 *A*.
(Imp. Constant. in cod. Theodos.: Forcell. IV 325.)

21. **vadare** schol. carm. I 3, 24 *Arν*.
(Veget.: Forcell. IV 391. Du Cange VI 717 et 721 sub voce „vadium“.)

Postremo mentionem tantum facio vocis **„morbifer“**, quod vocabulum in recensionem *A* (schol. carm. III 29, 19) ex recensione *rγ* interpolatum est.

b) α) Multo maius pondus inest profecto iis verbis, quae ab auctoribus illis primum proferuntur, qui exeunte saeculo quarto vel ineunte quinto libellos in lucem

ediderunt. Huiusmodi vocabula in recensione *A* quinque inveni eaque partim eorum numero adscribenda sunt, quae a medii aevi scriptoribus saepissime proferuntur. Ea autem verba, quae ad posteriora tempora pertinent, effusius enumerabo locosque auctorum afferam, scilicet ut illum librum haec vocabula afferentem ad posteriora tempora spectare efficiatur. Quorum verborum nonnulla apud quinti sexti posteriorum saeculorum scriptores saepissime, antea vero numquam reperiuntur, ut „grossus“ et inter verba quinti saeculi „districtio“ „ministerialis“ alia.

1. **amphibolus** schol. carm. III 13, 3 *A r γ* (amphibolicum γ).

Hoc vocabulum non vides usurpatum ante Martian. Capellam (V §. 462 Kopp): „quia fecit nomen amphibolum quaestionem“. Tum etiam exstat in scriptis medii aevi passim, ut in Hist. Luitprandi Presbyt. Ticinens. ap. Murator. T. II p. 454: „Mihi quidem videtur amphibolum.“

(Forcell. I 159. Du Cange I 237.)

2. **expensa** schol. carm. I 14, 6 *A r γ*
„ „ III 24, 14 „
„ „ IV 1, 19 „

Claudian. Stilich. II 145: „Non indecores aeraria lassant Expensae.“

Etiam Dig. hoc verbum praestant (27, 10, 1) et Cassiodorius, scriptor sexti saeculi: „Exercituales expensae.“

(Forcell. II 230. Migne LXIX 598).

3. **grossus** schol. carm. III 16, 35 *A r γ*.

Sulpic. Sev. Dial. 1, 21, 4: „Vestem respuit grossiorem.“ Augustin. lib. contra Epist. Manich. cap. 21 (23): „Si ad ista grossi etiam et tardi sitis.“

Gregor. M. (saec. sext.) Praefat. in Ezechiel. et Moral. XXV 22. Variis cum significationibus hoc verbum usu venit in medii aevi libris, quorum nonnulla afferam: grossus = crassus: Genealog. Reg. Franc. in Spicil. Acher. T. II p. 805: „Ludovicus Grossus“ et p. 807. Charta Otton. I. Imp. a. 937 ap. Erath. Cod. Diplom. Quedlinb. Nr. 5: „silva grossior“. Charta a. 1103 ap. Calmet. in Hist. Lotharing. T. I p. 575: „grossa decima“. Charta a. 1379 ap. Lobinell. Hist. Paris. T. III p. 191: „grossi fructus“. Statuta a. 1315 ap. Lobinell. T. V p. 626: „grossa causa“ et posterius. grossus = dives: Litt. remiss. a. 1350: „operarii facerent bellum contra grossos“. grossus = rudis: Ioann. de Ianua: „grossus, rudis, villanus“. grossus = inhabilis: Theodor. de Niem de vita Ioann. XXIII. in Conc. Constant. T. II part. 15. col. 357. grossus = atrox: Charta Libertatum Novae Bastidae in Occitania a. 1298 in Reg. Philippi Pulcri Reg. Franc. a. 1299 Nr. 16.

Glossae octavi — duodecimi saeculi etiam hoc vocabulum habent: Gloss. Philox.: „παχύς bassus grossus crassus“. Gloss. Isidor. p. 681. Nr. 10: „fiscos siccos grossos.“

(Forcell. II 381. Du Cange III 572. Migne CLXXXIII 376. Hildebrand, edit. glossar. Latin. bibliothec. Parisin. antiquissimi p. 144. not. 153.)

4. **incongrue** schol. epod. 14, 13 *A*.

Haec vox apud scriptores quarti vel quinti saeculi tantum exstat: Macrob. Sat. V 13, 31. Eyss.: „Hoc idem Maro de Fama dixit, sed incongrue“. Au-

gust. ad Hieron. in epist. eiusd. 67. Nr. 5: Mart. Capella IX §. 891 Kopp. (Forcell. II 494.)

5. **venenosus** schol. epod. 5, 19 *A*.

Augustin. de Gen. ad litt. VIII 13, 29: „Venenosa herba". (Perperam legitur ap. Varr. R. R. I 2, 97 Bipont.: „ac venenosa" pro „ac veneno.")

Praeterea multifariam utuntur hac voce glossatores medii aevi, velut Gloss. S. German. (saec. octav.): „Cerulla cola, venenosam cervicem;" Gloss. Amplon. (saec. non.) p. 344. Nr. 5: „Lenones venenosi vel suasores"; Gloss. Paris. p. 50. Nr. 73 (saec. non.): „Venenosus serpens" similia.

(Forcell. IV 411. Hildebrand p. 50. not. 73. p. 194. not. 94. p. 290.)

Ad hanc vocabulorum seriem pertinet fortasse vox:

6. **iuvamen** schol. epod. 5, 8 *A*.

(Apulei.) De betonica (quarto vel quinto saeculo conscriptus libellus): „Fert haemophthisicis cum posca sumpta iuvamen". Medio aevo passim „iuvamen" occurrit (Litt. a. 1372 in Ordinat. Reg. Franc. T. V p. 604 alia et nonnumquam in glossis.)

(Forcell. II 608. Du Cange III 956.)

β) Imprimis vero animum convertamus ad illa vocabula, quae primum ab auctoribus quinti saeculi proferuntur:

1. **districtio** schol. carm. III 24, 31 *Aγ*: „incolumem] in districtione servatam."

Nostra cum significatione (= severitas, disciplina exacte servata) hoc vocabulum primus Cassianus, qui ab anno 425. usque ad annum 450. sua

opuscula conscripsit, usurpat (Cass. Coen. Inst. V 38).

Etiam sexti — noni saec. scriptores passim hoc verbum tradunt, ut Ioann. Diac. Vita S. Gregor. IV 84. Senator. epist. IV 29. V 31. VII 1. Hincmarus in Vita S. Remigii. Fulbert. ep. 55. Caesar. IV 1 alii.

In Dig. semel (4, 8, 16) hoc vocabulum apparet „difficultas“ significans: „Quod sine ulla districtione ipsius interdum futurum est.“

Caroli Magni et posterioribus medii aevi saeculis „districtio“ vel „iudicium“ vel „pignus ex lege captum“ significat. districtio = iudicium: Capitul. Saxonum a Carolo M. datum a. 797 c. 4: „Pagenses solidos duodecim pro districtione recipiant“. Capitul. Caroli M. a. 813 c. 12: „Districtio episcopi“, „districtio pontificalis, Ecclesiastica, laicorum“. Districtio = vadium: Charta Hugonis et Lotharii Ital. Reg. a. 938 ap. Guichenon. in Bibl. Sebus. p. 185: „Cum .... venationibus reddibitionibus, districtionis servis ..“ Statutum Malebridgense sub Henrico III. Reg. Angl. c. 6: „Nullus de caetero faciat ducere districtiones.“ Vide in Lege Longobard. tit. I 36 §. 7 et multa alia.

Saeculo duodecimo hoc verbum „iustitiae exercendae facultatem“ significat: Charta Adalberonis Episc. Leod. a. 1124 in Bibl. Cluniac.: „Districtio quoque villae ad Ecclesiam pertinebit“.

(Forcell. II 108. Du Cange II 888. 889 sub voce „distringere“.)

2. **ministerialis** schol. carm. III 8, 2 *A r v γ*: „turibulum dicitur ministerialis patina fictilis“ (misterialis *r*).

Haec vox ante Caroli M. tempus raro apparet: duos tantum auctorum locos cognitos habeo: Cod. Theodos. De divers. offic. (V 8, 7): „Ministeriales et Pedagogiani“ et excerpta ex Isidoro (Hultsch metrologic. scriptor. reliq. vol. II p. 136, 20): „Ministeriales imperatorum.“ Ante annos 429—439, quibus cod. Theod. conscriptus est, hanc vocem in litteris invenire non possum.

Octavo et posterioribus saeculis autem saepissime auctores voce „ministerialis“ utuntur idque variis significationibus. Ministerialis = famulus, minor officialis in Capitul. Caroli M. de Villis §. 41: „Quatenus .. ministeriales nostri officia bene nitide peragere possint.“ Capit. Carol. C. tit. 32. c. 16: „Ministeriales ministrorum.“ Hincmarus (saec. non.) De Ordine Palatii c. 12: „Huiusmodi ministeriales substituant.“ Flodoardus (I 10): „Apud ministeriales regios.“ Bernardus (saec. duodec.) T. I col. 271. Ministerialis = palatii regii officialis: Capitul. de Villis Caroli M. Nr. 16. et Theod. de Niem in Conc. Constant. T. II part. 15. c. 34. Ministerialis = episcopus: Charta Ioann. II. Episc. Aurel. a. 1120.

Sed saepissime ministeriales liberis opponi video. Hoc unum exemplum afferam: Constitut. Caroli Crassi Imper. de Expeditione Romana a. 881 §. 5. De hac significatione cfr. Goldast. Rer. Alemann. T. I p. 217; Schilter. in Gloss. Teuton. sub voce „Dienen“; Fürthii libr. „de Ministerialibus“ (Colon. 1836); Nitzschii „Ministerialität und Bürgerthum im 11. und 12. Jahrhunderte“ (Lips. 1859); Schelei „Über die Freiheit und

Unfreiheit der Ministerialen des Mittelalters“ (Francof. 1868).

Saepenumero hoc verbum etiam in glossis medii aevi occurrit, ut in glossis Isonis Magistri ad l. Prudentii contra Symmachum: „Alumni nutricii ministeriales famuli“. Gloss. Isidor. p. 667. Nr. 15: „Anculus ministerialis domus regiae.“

(Du Cange IV 416—419. Migne CXXV 1001. Hildebrand p. 8 not. 84. 85 et p. 12. not. 108.)

3. **tempestuosus** schol. carm. I 3, 14 *Ar*
„ „ I 14, 5 *Ar*γ
„ „ I 14, 20 „
„ „ I 17, 4 „
„ „ I 28, 21 „
„ „ II 14, 14 *Ar*νγ
„ „ III 30, 3 *Ar*γ
„ „ IV 14, 21 *A*
„ epod. 9, 31 *A*
„ „ 10, 10 *A* (γ).

Hoc, ut videmus, a recensione *A* saepe prolatum vocabulum primus Apollinaris Sidonius usurpat (ep. IV 6): „Ad tempestuosos hostium incursus trepidaret.“

Hoc verbum igitur circa ann. 430 vel 440 primum in litteris apparet, posterius passim, ut in Vita Dom. Garnerii in Collect. Hist. Franc. T. X. p. 382.

(Forcell. IV 287. Du Cange VI 527.)

Quas voces cum bene perfecteque consideraverimus, vel inde intellegemus, recensionem *A* circa annos 430—450, hoc est non multum ante medium saeculum quintum p. Ch. n. exortam esse. Praecipue voces „districtio“

et „ministerialis" non ante hoc tempus in litteris apparent, cum quomodo medio aevo posteriore stent et vigeant, videas.

Sed hic, ut opinor, imprimis vox **„commassare"** proferenda videtur. Hoc enim schol. carm. I 35, 39 in codd. *A* γ apparet ibique significat: „in unum acervum coagmentare". Hoc vocabulum primus Venerabilis Beda, scriptor saec. sept. octav., profert [rarissime „com." occurrit in posteriorum saeculorum scriptis (Paucker Suppl. Lexic. Lat. 1883. fasc. I p. 95)]; at hoc unum verbum nihil valet contra meam sententiam; nam neque in usu cottidiano neque ICtis neque Ecclesiasticis huius vocabuli saepius usurpandi occasio fuit. Postremo nullam habet auctoritatem vox **„deebriare"** (gloss. carm. III 19, 18 *A r* γ), quae ante Bedam et Hincmarum nusquam, sed apud saeculorum octav. non. scriptores saepissime occurrit (Cfr. Hincmarum in Ferculo Salomonis Epitaph. Venerab. Bedae; Gerbertum Epist. 31. Alanum Anticlaud. IV 60. Petr. Diaconum libr. IV; Baldricum Chron. Camerac. II 39. Roderic. Toletan. Archiepisc. in Chron. Windesem. II 28. 55). Hoc enim verbum non in scholio quodam exstat, sed est glossa sine dubio a monacho quodam inter versus adscripta (Du Cange II 469. 750. 751).

c) Restat, ut ad ea verba, quae in glossis tantum vel in medii aevi scriptis apparent, aggrediar. Glossatores enim memorant vocem: **„incantatrix"** [schol. carm. I 27, 21 *A r* γ (incantatris γ)] item glossarum Papiae auctores: „Incantatrix maga saga". Sed hoc minimi pretii est, quia saepenumero „incantator" in istorum saeculorum scriptis apparet (Du Cange III 787).

Vocem **„deterioratio"** (schol. carm. III 27, 53 *A r* γ) ne uno quidem posteriorum temporum loco invenio, nisi quod in Du Cangio adnotatum video, hoc verbum illi occur-

risse in Consuetudinibus Brageriaci ap. Thom. Madox Formul. Anglic. p. 131. Rymer. T. IV p. 468. col. 1 (Du Cange II 824). Sed „deteriorare“ (v. supra inter verba saeculi quarti) iam saeculo quarto saepe apparere demonstravi.

Denique causa diligenter cognita recensionem *A* aliquanto post initium saeculi quinti, prope annum 450, ni fallor, compositam esse iudicabimus. Kellerus eam eiusdem saeculi initio ortam esse statuerat.

B. De recensione Γ.

(Scholia ad carm. IV 3 usque ad fin. epod. serm. epist., quae exstant in codd. *r* ν *f* γ ceteris, et multa scholia, quae in recensionem *A* interpolata sunt.)

Hanc recensionem exeunte saeculo quinto exstitisse Kellerus coniecerat. Et sine dubio, etiamsi rem leviter attingeremus, recensionem Γ posterius ortam esse quam recensionem *A* nos non fugeret. Hoc quidem nostra quoque inquisitione comprobabitur; multo enim plura verba inveniemus, quae a posterioribus quidem medii aevi glossatoribus historicis iurisconsultis, sed numquam prius proferuntur. Quae vocabula acrius subtiliusque examinaturo sufficiat mihi, de verbis primum ab auctoribus quarti et incipientis quinti saeculi allatis rem breviter absolvere.

a) *α*) Iam animum attendam ad verba ab auctoribus quarti saeculi primum tradita: 1. **archaeus** (schol. epist. I 19 init. *r*ν*f*γ); 2. **Athenaeum** (schol. serm. I 10, 38 *r*ν*f*γ) cum significatione: „locus Athenis Minervae dicatus, ad quem poetae aliique scriptores scripta sua deferebant et in quo poetae sua poemata recitabant, oratores declamabant, philosophi disputabant.“ (Apud Livium

XXXVIII 1 et XXXIX 25 Athenaeum arcem Athamaniae, regionis Epiroticae, significat); 3. **averta** (schol. serm. I 6, 106 *r*ν*f*γ), vox primum in Diocletiani edicto (circa a. 301.) prolata; 4. **botrio** (schol. serm. II 4, 71 *r*$ν_2$*f*γ); 5. **canicularis** (schol. serm. I 7, 24 *r*ν*f*γ); 6. **Capuanus** (schol. serm. I 5, 54 *r*ν*f*γ) [Varro L. L. X 2, 553 (Spengel) hoc verbum esse in consuetudine Latina negat. Passim et ap. Cic. de lege agr. I 7 et Liv. VII 30. IX 26 in codd. pro „Campanus" apparet]; 7. **Capuensis** [schol. serm. I 5, 40 *r*ν*f*γ (capuenses ν*f*. capuisset *r*. capiens γ)] (Hoc verbum passim in Inscript. occurrit); 8. **cellarium** (schol. serm. II 2, 16 *r*νγ) (Perperam nonnulli editores apud Plin. nat. hist. XXXVI § 111 „cellaria" pro „sellaria"); 9. **collectarius** (schol. serm. I 6, 86 *r*νγ); 10. **commeiere** (schol. epist. I 19 init. *r*ν*f*γ); 11. **convallia,** um (subst.) (schol. epist. I 16 init. r_2ν*f*γ); 12. **coopertorium** (gloss. interpol. carm. III 8, 10 *r*νγ); 13. **dehonestas** (schol. epist. I 17, 24 *r*νγ) (Migne X 326); 14. **diasyrtice** (schol. de art. poet. 300 *r*ν*f*γ); 15. **drama** (schol. de art. poet. 216 *r*ν*f*γ); 16. **econtra** [schol. serm. I 1, 101 *r*ν*f*γ (et contra *r*γ)] (Perperam nonnulli editores ap. Tac. Ann. XII 47 „econtra"); 17. **elegion** (schol. epist. I 4, 3 *r*νγ); 18. **figurate** (schol. interpol. carm. II 11, 2 r_2νγ. serm. I 1, 5 *r*ν*f*γ. 5, 54 *r*ν*f*γ. 6, 25 *r*ν*f*γ. epist. I 17, 46 *r*ν*f*γ); 19. **Grecitas** (schol. serm. I 10, 30 *r*ν*f*γ); 20. **historiographus** (schol. serm. I 3, 87—89 *r*νγ. 3, 89 *r*ν*f*γ); 21. **indigestio** (schol. interpol. carm. II 20, 8 *r*ν*f*γ. III 8, 6 *r*νγ. epist. I 1, 108 *r*νγ*E*); 22. **lunaticus** (schol. de art. poet. 454 *r*νγ*E*) (Apul. lib. de herbar. virtut. quarto vel quinto saeculo in lucem prodiit); 23. **metaphorice** (schol. serm. I 3, 29. 30 *r*ν*f*γ. 4, 34 *r*ν*f*γ. epist. I 1, 3 *r*ν. 1, 14 *r*ν. de art. poet. 417 *r*ν*f*γ); 24. **neotericus** (schol. de art. poet. 281 *r*νγ);

25. **proverbialiter** (schol. serm. I 4, 120 *rvfγ*. II 2, 64 *rvγ*); 26. **repostorium** [schol. serm. I 1, 53 *rvγ* (repositoria *γ*)]; 27. **sagma** (schol. serm. I 5, 47 *rvfγ*. 14, 43 *rvE*); 28. **saurex** (schol. serm. II 4, 15 *rvfγ*); 29. **subintelligere** (schol. serm. I 4, 69 *rvγ*); 30. **synecdochice** (schol. epist. I 18, 66 *rvfγ*); 31. **taediosus** (schol. serm. I 10, 88 *rvfγ*); 32. **tragoediographus** (schol. epist. I 1, 67 *rvfγ*. de art. poet. 80 *rvγ*. 238 *rvfγ*); 33. **victualia** (schol. serm. II 3, 229 *rvγ*); 34. **vilescere** (schol. serm. I 10, 38 *rvfγ*); 35. **usurpative** (schol. epod. 17, 48 *rvγ*).

Utrum „**extensio**“ et „**fatus**, us“ hic recte in censum veniant necne, id parum mihi constat. Nam „extensio“ (schol. serm. I 2, 119 *rvfγ*), quae vox est apud Vitruvium (IX 4, 223 Rose-Müll.) in quibusdam edd., perperam legitur pro „extentio“. Paulo probabilius scribunt editores „extensio“ apud Veg. Vet. V 14, 2: „extensiones et tubercula nascuntur in dorso.“ Et „fatus“ (schol. de art. poet. 217 *rvγ*) ap. Prudent. (Apoth. 594) a nonnullis quidem editoribus, ut ab Alberto Dresselio (Lips. 1860) profertur, sed alii scribunt et „fastus“.

β) Nunc tractaturus iam sum vocabula ab auctoribus s a e c u l i q u a r t i e x e u n t i s e t i n e u n t i s s a e c u l i q u i n t i tradita; sunt vero haec:

1. **ascella** schol. epist. I 13, 12 r_2*vγE*.
   [M a r c e l l. E m p i r i c. (Hic libellos suos ante a. 408. conscripsit): Du Cange I 426].
2. **demonstrative** schol. serm. I 9, 47 *rvγ*.
   (M a c r o b.: Forcell. II 40.)
3. **exspoliatio** schol. serm. I 4, 94 *rvfγ* (explicatione *f*).
   (A u g u s t.: Forcell. II 243.)
4. **nodositas** schol. interpol. (?) epist. I 1, 31 r_2*v*.
   (A u g u s t.: Forcell. III 172. Du Cange IV 634.)

5. **orphanus** schol. epist. I 1, 103 r_2νγ.
(August.: Forcell. III 264. Du Cange IV 736. Migne XXXV 1829.)

6. **samardacus** schol. serm. I 6, 113 *r*ν*f*γ
„ „ „ „ 114 *r*νγ (samardicis *r*ν.)
(August., apud quem nonnulli editores „sarmadacos“ pro „samardacos“ tradunt: Forcell. IV 20. Du Cange VI 53.)

7. **veraciter** schol. epist. I 16, 40 *r*νγ*E*.
(August.: Forcell. IV 416. Du Cange VI 769.)

Vocem **„distensio“** hic afferre num liceat, difficile est iudicatu. Nam Augustin. in Confess. (XI 23. 29) loci vix sani sunt, fortasse illic „distentio“ ponamus necesse est. Voces enim „distentio“ et „distensio“ in codd. haud facile discernuntur, eo quod *s* et *t* litterae insignem in mediae aetatis codd. prae se ferunt similitudinem (ſ τ τ τ) (Forcell. II 106.)

b) Hanc recensionem diligenter examinantes duo verba non effugere possunt, quae quidem in medii aevi auctoribus saepissime occurrunt, sed nusquam, quod gravissimum est, ante saeculum quintum, dico voces: „accidia“ vel „acedia“ et „praesumptuosus“. Quamobrem maxima cum subtilitate ostendam haec duo verba saeculo quinto et quod in hac posteriore recensione maioris momenti est, posterioribus saeculis, praecipue sexto, apparere.

1. **accidia** schol. epist. I 8, 1 r_2νγ.
Cassianus primus hoc verbum habet in l. X. de Instit. Coenob. c. 1 et in sermone 5. Collat. c. 2. 9 et saepius.
Postremis saeculi quinti decenniis hoc vocabulum invenio apud Caesarium (IV 27): „Acedia est ex confusione mentis nata tristitia sive tae-

dium et amaritudo animi immoderata, qua iucunditas spiritalis exstinguitur et quodam desperationis praecipitio mens in semet ipsa subvertitur". Aldhelmus (saec. sept. exeunte) de 8 principal. vitiis Nr. 6:

„Hinc aciem sextam torpens accidia ducit,
Otia quae fovet et somnos captabit inertes,
Importuna simul verborum frivola sontum,
Instabilis mentis gestus et corporis actus."

Alcuinus de virtut. et vitiis c. 32: „Acedia est pestis, qua otiosus homo torpescens in desideriis carnalibus nec in opere gaudet spirituali, nec in salute animae suae laetatur." Bernardus (saec. duodec.) epist. 78: „Taedium et acediam procul pellit sanctarum varietas observationum". Gregor. M. saepenumero hac voce usus est nec non Alanus de Insulis in Summa de arte praedicatoria (c. 7).

Saepenumero etiam glossatores vocem „acidia" exponunt, ut Gloss. Labbaei: „Acidia". Gloss. S. German. (saec. octav.): „Acidia taedium animi". Gloss. Amplon. (saec. non.) p. 262. Nr. 312: „Acidia taedium". Gloss. Paris. (saec. non.) p. 2. Nr. 18: „Accedia taedium" et p. 281. Nr. 10: „Tedium accedia".

(Du Cange I 51. Migne XLIX 360. 396. LXXIII 364. CI 635. CCX 126. Hildebrand p. 2 et 281.)

2. **increpative** schol. epist. II 2, 154 $r_2 v$.

Sidon. epist. VI 9. (Forcell. II 497.)

3. **praesumptuosus** schol. carm. III 4, 56 $r_2 v f \gamma$ (presumpniosus r_2. p̄sūτuosus f).

Sidon. et Salvian. e scriptoribus quinti saeculi hoc verbum praebent, hic quidem in lib. VII de

Gubern. Dei c. 33 Pauly, ille in ep. I 1, fortasse et in ep. I 11, ubi nonnulli codd. „praesumptiosum,“ ceteri „praesumptuosum“ tradunt. Tum et in Capitul. I. Caroli M. a. 802 c. 7. 30 occurrit et ap. Bernardum (saec. duodec.) in Vita S. Malachiae Episcopi.

Postremo „praesumptuosus“ etiam in glossis veterrimis passim exstat, cfr. gloss. Maii VIII (quae multas sexti saeculi glossas continent) p. 360.

(Forcell. III 474. Du Cange V 416. 417. Hildebrand p. 203. not. 18.)

c) Plurimum valet vox **multotiens** vel **multoties** (schol. interpol. carm. I 13, 17), ut intellegamus, quonam saeculo recensio Γ in lucem processerit. Quod vocabulum primo in praefat. novellae 29 Iustinianae occurrit: „Quae multoties cum ipsis etiam regiis certamen susceperit“. Hoc unum verbum in codd. *r v γ* traditum iam significat recensionem Γ non multum ante Iustiniani tempora evasisse idemque multa alia sermonis indicia, quae in posterioribus afferam, confirmant.

Praeter Iustiniani novellam vocem „multotiens“ etiam praebet Adamus (saec. undec.) et Concil. Tolet. XIII. inter Hispan. T. II p. 699. (Forcell. III 117. Du Cange IV 572. 573. Migne CXLVI 558).

Nec multo prius alterum verbum a Prisciano primum usurpatur, id est: „**abnegativus**“ (schol. interpol. carm. I 1, 20 *r v*). (Prisc. XV 32 Keil et XVI 11 Keil. Forcell. I 9.)

Ad idem tempus refero equidem vocem „**comestor**“. Hoc verbum saeculis dec. tert. quart. posterioribus et in glossis saecul. octav. — duodec., sed et apud Isidorum (Orig.

X p. 87 du Breul) invenio; ante hunc saec. sept. scriptorem nusquam in litteris apparet. Accedit, quod in recensione Γ, id quod valde adnotandum est, „comestor“ ita profertur, ut in sermone quidem cottidiano, nec vero in litteris hoc verbum tum in usu fuisse vel inde colligi possit. In schol. serm. I 1, 2 (codd. *r ν f γ*) recensionis Γ auctor „balatrones“ etymologice interpretatur hoc modo: „Balatrones a balatu ovium, quasi ciborum sectatores, quasi comestores, qui rem suam in voram mittunt“. Scholiastes ergo hac in re interpretanda „quasi ciborum sectatores, quasi comestores“ dicit. „Ciborum sectatores“ forsitan scholiastes Γ in recensione *A*, quae hac in parte deficit, invenit et ut scholion suis temporibus magis accommodaret, „comestores“ verbum, quo vulgus tunc utebatur, addidit. Nec minus ad hanc vocem explicandam rursus verbo utitur, quod in illius saeculi litteris nondum occurrit, verbo „vora“ (vide infra). Verbum „comestor“ igitur omnibus in codd. prima manu traditum significare videtur ista tempora, quibus glossatores scribere incipiebant, tempora Iustiniani et posteriorum imperatorum, hoc est medii saeculi sexti. Isidorus, qui hanc vocem profert, profecto suis verbis demonstrat, eam a glossatoribus saeculi sexti e sermone cottidiano vulgi produci: nam et hic auctor diligentissimus hoc verbum interpretandum putat (Orig. X p. 87 du Br.: „comestor a comedendo satis“).

Accedit, quod „comestor“ in glossis apparet et hoc iam in antiquissimis glossis Maii VIII, quarum in corpore plurimae saec. sexti septimique glossae continentur [gloss. Maii VIII p. 155: „Commestor (vel commessor) conviva, qui et convictor et coepulo dicitur“]; Gloss. S. Germ. (saec. octav.): „Comesator gulae et ventri immoderate deditus“; Gloss. Amplon. (saec. non.): „Commessor glutto“; Gloss. Labbaei (saec. dec.): „Comestor καταφαγάς“. Praeter Isido-

rum, qui hanc vocem interpretatur, et has glossas „comestor“ etiam apud dec. tert. quart. saec. auctores invenitur: Concil. Turonens. a. 1282 c. 9: „Contra illos, qui ponunt comestores in religiosis domibus“. Concil. Redonens. a. 1373 c. 4 et Andegav. a. 1365 c. 24 etc.

(Forcell. I 509. Du Cange II 463.)

Liceat mihi ad meam sententiam confirmandam, qua recensionem Γ saeculo sexto medio (c. 530—550) exstitisse puto, unum quidem afferre, quod non ad sermonis rationem spectat. Ab hac enim sententia locum recensionis Γ Theotistum grammaticum commemorantem minime abhorrere duco (schol. serm. I 5, 97): „Bari moen.] Civitas Apuliae, quae appellatur Barium, quae Atbaris dicitur hodieque, ut dixit grammaticus Theotistus.“ Hic Theotistus grammaticus praeceptor Prisciani fuit, ut Kellerus etiam adnotavit [Prisc. Instit. VI 51 (p. 238, 5 sqq. H.): „Quod . . . doctissime attendit noster praeceptor Theoctistus“ et XVIII 56 (II p. 231, 24 sq. H.): „Teste sapientissimo domino et doctore meo Theotisto“]. Theotistum, praeceptorem Prisciani, certe grammaticum fuisse affirmat Cassiodorius [Divin. lect. 30: „Theoctistum quoque aliqua de tali arte (sc. orthographia) conscripsisse comperimus“].

Hic Theotistus ergo exeunte saeculo quinto vixit, qua ex re Kellerus sibi concludendum putavit recensionem Γ non ante haec tempora exortam esse. At cave credideris, haec inde colligi posse. Aliter hercle, verba si diligenter excusserimus, de iis statuemus. Illud enim scholion recensionis Γ perfectum: „dixit“ afferre moneo. „Quae Atbaris dicitur hodieque“ mea quidem sententia Theotisti sunt verba et „hodieque“ videlicet pertinet ad Theotisti tempus, non scholiastae Γ ipsius. Verba Theotisti aperte hic proferuntur a scholiasta, ut centies Vergilii vel Terentii senten-

tiae. Profecto Barium etiam scholiastae Γ temporibus a nobis constitutis (med. saec. sext.) Atbaris nominabatur. Theotistus, cuius verba hic proferuntur, fortasse vitam et spiritum duxit 50 annos vel plures ante scholiastam; nusquam enim in recensione Γ affirmatum est Theotistum et nostrum scholiastam eiusdem aetatis fuisse.

Quid igitur meae sententiae obstet in hac scholiastae adnotatione, equidem non video. Sed apparet haec ad rem minus pertinere aliaque quaerenda esse.

Sententiae meae, qua recensionem Γ circa medium vel exiens saeculum sextum exstitisse credo, etiam hoc momentum non perleve addit, quod nonnulla ibi verba invenimus, quae in glossis tantum et apud ultimi aevi medii auctores apparent. In scholiis enim, quae, ni fallor, sincera et salva sunt, haec vocabula occurrunt, quae vix saecul. sext. sept., nedum saec. quint. in usu fuerunt:

1. **foraneus** schol. serm. I 6, 86 *rνγ*: „Argentarium dicimus eum, qui habet summam olivarum, a quo accipiunt foranei, coactorem, qui exigit nummos a circumforanis."

Haec vox postremis tantum medii aevi temporibus „exterior" significat (Leges Palatin. Jacobi II. Reg. Maioric. inter Acta S. Iunii T. III p. LXVIII et Concil. Tarracon. a. 1591). Nostra cum significatione = „qui forum tenet" verbum in Vocabulario Iuris Utriusque tantum occurrit.

Tum saec. dec. tert. vox „foraneus" ad canonicos spectat, qui non faciunt residentiam. (Acta Visitat. S. Petri Lovaniens. a. 1230 ap. Marten. in Collect. Ampliss. T. I col. 1243. Du Cange III 345.)

2. **possibiliter** schol. de art. poet. 40 $r v \gamma$.

In noni saeculi libellis haec vox usurpatur: Synod. Mett. a. 859 in Collect. Hist. Franc. T. VII p. 634: „Quantocius rationabiliter et possibiliter atque convenienter ex communi sensu fieri poterit.“ (Du Cange V 370.)

3. **vora** schol. serm. I 2, 2 $r v f \gamma$: „comestores, qui rem suam in voram mittunt.“

Hoc verbum Du Cangius (VI 879) in Liturg. Gallic. Mabill. p. 264 tantum invenit.

d) Nonnulla verba, dignissima, quae hic proferamus, in glossis tantum saecul. sext. — undec. apparentia, sunt haece:

1. **bistacia, bissacia** schol. serm. I 6, 106 $r v \gamma$: „pera, quam dicunt bistaciam“.

(Ital. bisaccia, gall. besace.) Glossae Papiae: „Pera viatoria sportella bargilla bisaccia, vulgo et bisaccia sarcina mantica“. Gloss. Paris. (saec. non.): „Sarcina bisaccia mantica.“

Praeterea hoc vocabulum apparet in Regula Magistri c. 1 et in Stat. Capit. Theutonicorum c. 14 ap. Raimund. Duell. Miscellan. II 27.

(Du Cange I 688. 691. Hildebrand p. 266. not. 35. Paucker Suppl. Lexic. Lat. fasc. I p. 51.)

2. **cupidinarius** schol. serm. II 3, 234 $r v \gamma$: „Luxuriosi verba ad cupidinarios“.

Hanc vocem iam gloss. Maii (saec. sext. sept.) praebent p. 477: „Parabata cupidus cupidinarius.“ Gloss. Amplon. (saec. non.) p. 290. Nr. 306: „Cupedinarius voluptarius.“

(Hildebrand p. 88. not. 520. p. 233. not. 61.)

3. **hyrneosus** schol. serm. I 1, 105 *rνfγ*: „socer Viselli] Hyrneosus (hyrniosus *rf*), multum interest inter eunuchum et hyrneosum (hirniosum *f*), ut inter ramicosum et spadosum.“

Etiam hoc vocabulum usu venit in gloss. Maii VIII antiquissimis p. 142: „Caesius lenticulosus hynniosus;“ p. 148: „Caesius lentiginosus hirniosus;“ p. 291: „Impetigo pupula in corpore, qua et hirna dicitur et impetix; et impetiginosus hyrniosus pupulosus verrucosus inaequalis.“

(Hildebrand p. 51. not. 75 et p. 166. not. 59.)

4. **salcitia** gloss. serm. II 4, 60 *r*ν_2*fγ*: „hilla] farcta salsitia.“

Gloss. S. German. (saec. octav.): „Salcitia saucie;“ Gloss. Papiae (saec. undec.): „Tusceta escae regiae, salcitia vulgo.“ Praeterea tradunt hoc verbum, quod fortasse a recensionis *rγ* auct. (v. cod. ν_2) in nostram recensionem interpolatum est, Ioann. de Ianua et Vita S. Francisci Rom. ap. Mart. T. II p. 170.

(Du Cange VI 37.)

5. **vinatium** schol. serm. II 3, 144 *rνγ*: „Vappa, quod fit ex perfusa vinatia. Et hoc vinatium lectum est et haec vinatia.“

Gloss. Lat. Graec.: „Vinacium ϛέμφυλον.“ Glossae Bibliae MSS. Anonymi ex Ugutione: „Vinacium et vinarium idem significant: sed posterius vinum, quod et vinacenum dicitur“ etc.

Praeterea praebent hoc verbum Constitutio Frederici Reg. Sicil. p. 116 et Statut. Eccles. Meld. ap. Marten.

(Du Cange VI 834. 837.)

Postremo hic vox, quae sine dubio interpolata est (in cod. *r* manu secunda addita deest in cod. γ) restat addenda: **exoccupare** gloss. epist. II 2, 92 r_2v.

Hoc vocabulum Gloss. Gall. Lat. ex Cod. reg. 7684 interpretantur: „Exoccupare deslivrer deslier;" praeterea medii aevi scriptores: Ioann. Saresb. I 4. 8. Gerardus Abb. Silva maior in Vita S. Adelardi c. 4. 5. Petr. Venerab. I epist. 24. Radulphus de Diceto. Chronicon Andrense p. 379. (Du Cange III 155.)

Praecipue voces „cupidinarius" et „hyrneosus", quibus sine dubio, si recte disputavimus, primum homines sexti saeculi utebantur, respicientes recensionem Γ non ante medium saeculum sextum exstitisse sentiemus.

C. De recensione *r*γ.

(Glossae et adnotationes, quae in ambobus codd. *r*γ, sed numquam in cod. v reperiuntur.)

Haec recensio permagnum glossarum et adnotationum corpus continet et recte, ut videbimus, a glossis, quae in singulis tantum codd. (*rfE*) exstant diversisque posterioribus saeculis exortae sunt, segregatur. Auctorem huius tertiae recensionis temporibus Isidori, hoc est initio saeculi septimi viguisse testimoniis egregiis declarabo.

Et in hac recensione tractanda eandem disquirendi rationem, in qua supra versatus sum, observabo, sed voces quinto saeculo ab auctoribus primum prolatas brevius afferam.

a) α) Iam aggredior ad verba quarto saeculo primum prolata: 1. **abhominabilis** (schol. carm. III 10, 9 *r*γ); 2. **adinvenire** (schol. serm. II 4, 47 *r*γ); 3. **annositas**

(schol. carm. IV 13, 25 *rγ*); 4. **augmentare** (schol. carm. III 29, 61 r_2*γ*); 5. **camelopardalus** (schol. epist. II 1, 195 *rγ*); 6. **Constantinopolitanus** (schol. serm. II 4, 66 *rfγ*); 7. **constipatio** (schol. serm. II 5, 94 *rfγ*); 8. **coopertorium** (schol. epod. 12, 12 *r*); 9. **elegion** (schol. epist. I 4, 1 *rγ*); 10. **epenthesis** (schol. epod. 11, 13 *r*); 11. **glomeratim** (schol. carm. IV 11, 11 *rγ*); 12. **idioma** (schol. epod. 2, 47 *rfγ*); 13. **infernalis** (schol. carm. III 11, 29. IV 7, 27. epod. 17, 56 *rγ*); 14. **invasus** (adi.) [schol. carm. III 6, 13 *rγ* (invisum *r*)]; 15. **leopardus** (schol. epist. II 1, 195 r_2*γ*); 16. **melicratum** (schol. serm. II 4, 26 *rγ*); 17. **metaphorice** (schol. carm. IV 4, 57 *rγ*. epist. I 1, 87 *rγ*. 20 init. r_2*fγ*. 3, 19 *rγ*); 18. **moraliter** (schol. serm. II 6, 48 *rγ*); 19. **morbifer** (schol. carm. III 29, 19 *rγ*) (V. supra); 20. **palinodia** (schol. epod. 17, 1 *rγ*); 21. **pincerna** (schol. carm. III 19, 9 *rγ*. serm. II 8, 14 *rfγ*); 22. **profunditas** (schol. epist. I 3, 10 r_2); 23. **quadrigalis** (schol. carm. IV 3, 5 *rγ*); 24. **remandare** (schol. epist. I 3, 30 *rγ*); 25. **vilescere** (schol. de art. poet. 139 *rγ*); 26. **yronice** (schol. carm. III 29, 64 *rγ*); 27. **zizania** (schol. serm. II 6, 89 *rfγ*).

Multi priorum saeculorum scriptores voces „palinodia" (v. Cic. Att. II 9. IV 5. VII 7) et „yronice" Graece (παλινῳδία et εἰρωνικῶς) usurpant.

β) Verba exeunte quarto et quinto ineunte saeculo primum ab auctoribus prolata sunt haece: 1. **deliciosus** (schol. carm. III 9, 4 *rγ*. serm. II 6, 108 *rfγ*); 2. **dictor** (schol. de art. poet. 132 *rγ*); 3. **exaratio** (schol. epod. 2, 64 *rfγ*); 4. **grossus** (schol. epist. II 1, 244 r_2*fγ*); 5. **insertio** (schol. epod. 16, 46 *rγ*); 6. **iuscellum** (schol. serm. II 8, 42 *rfγC*. 8, 48 *rfγC*); 7. **scissio** (schol. carm. I 14, 6 *rγ*).

γ) Iam accedamus ad verba ab auctoribus quinti saeculi prolata; sunt autem haec:

1. **otiositas** schol. epist. II 1, 93 r_2γ.
   (Apollin. Sidon.: Forcell. III 270.)
2. **petax** schol. serm. II 6, 66 *rf*γ.
   (Fulgent.: Forcell. III 375.)
3. **praesumptuose** schol. carm. III 27, 25 *r*γ.
   (Apollin. Sidon.: Forcell. III 474. Du Cange V 417.)
4. **praesumptuosus** schol. de art. poet. 164 *r*γ.
   (Apollin. Sidon. Salvian.: Forcell. III 474. Du Cange V 416. 417.)
5. **satirographus** schol. de art. poet. 235 *r*γ.
   (Apollin. Sidon.: Forcell. IV 37. Migne LVIII 468.)

b) Tria verba, id quod gravissimum est, in hac scholiorum parte invenio, quae ab Isidoro et a posterioribus auctoribus, sed antea nusquam proferuntur, dico haece:

1. **calcaneus** schol. epist. II 1, 214 r_2γ.
   Isid. Orig. XI 1. p. 97 du Breul. „Calcaneus" quid sit, saepenumero expositum vides in glossis posterioribus (saec. octav. — undec.), velut in Gloss. S. German. (saec. octav.): „Calcanei sub talo sunt, sub crure talus. Dicti autem calcanei a callo, quo terram calcamus;" in Gloss. Paris. (saec. non.) p. 42. Nr. 18: „Calceotenus usque ad calcaneum;" in Gloss. Papiae (saec. undec.): „Calcaneus sub talo est dictus a callo, quo terram calcat, vel a calce"; in Gloss. Philox. p. 24: „Calcaneum πτέρνα calcaneus πτέρνα."
   (Forcell. I 363. Hildebrand p. 42. not. 17.)

2. **circumforanus** schol. de art. poet. 136 *rfγ*.

Isid. Orig. X p. 87 du Breul. Gloss. Papiae (saec. undec.): „Circumforanus qui advocationum causa circum fora et conventus vagatur.“

(Du Cange II 364.)

3. **necromantius** schol. epod. 5, 1 *rγ*.

Isid. Or. VIII 9 du Breul: „Necromantii sunt, quorum praecantationibus videntur resuscitati mortui divinare et ad interrogata respondere.“

Hanc vocem Hincmarus (saec. non. † 880) et Vita S. Anton. in Maii T. I. p. 339 proferunt.

(Forcell. III 149. Du Cange IV 624. Migne CXXV 718.)

c) Non ante Isidori tempora (initium saec. septim.) igitur, ut opinor, recensio *rγ* exorta est et hoc verisimilius erit, si verborum numerum inspexerimus, quae in glossis vel in medii aevi edictis saepissime quidem apparent, sed nusquam ante Isidori aetatem. In quorum numero sunt vocabula a glossatoribus et in sermone cottidiano saepissime usurpata, ut „auctoratio,“ „infertor,“ praecipue vero „villanus“.

1. **auctoratio** schol. serm. II 7, 59 *rfγ*: „Auctoratio enim dicitur venditio gladiatorum“.

Hoc verbum in glossis saepenumero legitur: Gloss. Isidor. p. 669. Nr. 9: „Auctoratio venditio, nam sub auctoratione sunt gladiatores, qui se vendunt.“ Gloss. Maii VI (saec. non. — duodec.) p. 510: „Auctoratio venditio.“ Gloss. Amplon. (saec. non.) p. 265. Nr. 509: „Aucturatio venditio;“ p. 275. Nr. 151: „auctor. vend.;“ p. 271.

Nr. 336: „Auctor. vendit. . . . . vendunt.“ Gloss. Paris. (saec. non.) p. 22. Nr. 157: „Auctoratio vend.“ Gloss. Papiae (saec. undec.): „Auctoratio venditio sub auctore.“

(Forcell. I 279. Du Cange I 479. Hildebrand p. 22. 23. not. 157.)

2. **impetuose** schol. carm. I 16, 12 *r*γ.
„ „ „ 29, 11 „

Hoc verbum nisi auctor de progen. Aug. 5 nemo exhibet. (Hic libellus Messalae Corvini clarissimi nomen usurpat, sed medio aevo compositus est.)

(Forcell. II 473.)

3. **infertor** schol. serm. II 8, 72 *rf*γ.

Gloss. Philox.: „Infertor παραθέτης.“ Tum vocabulum exstat etiam in schol. ad Iuvenal. idque in illa parte Pseudo-Cornutiana (ad sat. 6), quam saeculo nono confectam esse constat.

Posterioribus temporibus hoc verbum saepe occurrit, ut in Charta Hugonis Episcopi Gratianopol. a. 1110. in Tabular. eiusd. Eccles. alibi.

(Forcell. II 516. Du Cange III 824.)

4. **suinus** schol. epist. I 4, 16 *r*γ*E*.

Gloss. Isidor.: „Suinus suillus.“ (Forcell. IV 232.)

5. **villanus** schol. carm. IV 6, 28 *r*γ.

In glossis passim memoratur: Gloss. Maii VIII p. 624 (antiquissimae, sed valde interpolatae glossae): „Villicus villam colens villanus colonus ruricola ruricolanus agrarius agricola.“ Glossar. Provinc. Lat. ex cod. reg. 7657: „Vilan paganus rusticus agellarius.“

Hoc vocabulum praeterea ita, ut variae res significentur, usu venit in posterioribus medii aevi libris, quorum nonnulla afferam: Capitul. Karlomanni (saec. oct. vel non.) tit. 2. c. 14: „Volumus, ut Presbyteri et ministri Comitis villanis (= rusticis) praecipiant.“ Charta a. 1026 ap. Lobinell. Hist. Britan. T. II. col. 161: „Omnia iura et dominia.... quae super militibus quam super villanis iure hereditario habebam.“ (Hic „villani“ a militibus distinguuntur.) Litterae Philippi Aug. Reg. Franc. a. 1186. Ordinat. T. IV. p. 75. Charta a. 1233 ap. Kennet. Antiquit. Ambros. p. 212. 216. 272. 288. 310. Charta Alfonsi Reg. a. 1240 ap. Marc. in Hist. Beneharn. c. 14. Nr. 6 (Omnibus fere his locis „villanus“ significat servilis condicionis hominem, glebae adscriptum).

Hic denique adnotabo quinque tantum verba interpolata: 1. **elongare** (schol. carm. III 3, 29 $r_2\gamma C$); 2. **genealogia** (schol. epist. I 20, 22 $r_2\gamma$); 3. **gracula** (schol. epist. I 3, 19 r_2); 4. **notamen** (schol. de art. poet. 59 $rf\gamma_2$); 5. **pugnabilis** (schol. carm. III 3, 63 $r_2\gamma C$). Haec enim verba, praecipue Nr. 3 et 4, quae ultimis demum medii aevi temporibus inventa sunt, in codicibus illis manu secunda interpolata esse apparent.

Haec omnia igitur cum consideramus, dubitare non possumus, quin scholia a codd. $r\gamma$ tradita non ante saeculum septimum in lucem prodierint atque etiam post hoc tempus multis inquinata sint interpolationibus.

III. Quomodo recensiones *AΓrγ* sermonis ratione inter se distent.

Iam vero, postquam has tres pseudacronianorum scholiorum recensiones quinto, sexto septimoque saeculo exstitisse vidimus, quasdam observationes ad loquendi usum pertinentes afferre libet, quibus efficiatur, etiam hac re valde illas inter se differre omnibusque istorum temporum vitiis scatere.

Ac primum quidem animadvertendum videtur, quam confusus perturbatusque illorum scholiorum sermo sit, adeo ut sententiarum constructio saepissime male inter se cohaereat. Iam in recensione *A* sententiae quaedam non satis clare ornateque expressae sunt nec nisi maxima cum difficultate earum vim percipere licet, ad quod demonstrandum haece duo exempla memorare in rem esse duximus: Schol. carm. II 6, 21 e codd. *Arγ* „Eleganter se cum Septimio et in laudatis locis optat vivere et eum habere superstitem defunctoque sibi iusta persolvere“. Hic in prioribus sententiis: „se optat vivere et habere superstitem“ Horatius subiectum est, in ultima autem Septimius. Scholiastes vero „illum“ non posuit, quo Septimium significaret, itaque factum est, ut tota sententia plane confusa evaderet. Sed longe gravissimum exemplum confusi sermonis praestat mea quidem sententia schol. carm. II 13, 28 e codd. *Arvγ* „Alceus, qui res bellicas scripsit, dum a Psitaco tyranno civitatis suae pulsus esset, eo quod Mytilenensibus amorem libertatis suaderet, quos postea collecto exercitu superavit“. Quod quidem saepius perlegendum est, ut quid scholiastes voluerit intellegas. Praecipue quod in sententia: „quos postea collecto exercitu superavit“ subiectum deest, haec

verba me quidem iudice non satis manifestum sensum praebent. Etiam e recensionibus Γ et *r*γ similia afferre possumus, sed pauca commemorare sufficiat. E recensione Γ: schol. serm. I 4, 22 e codd. *r*vγ et praecipue schol. epist. I 15, 2 e codd. *r*v*f*γ „Quasi Baiae hanc iniuriam sentiant, si illis frigida etiam frigoribus mediis praeferatur". (Hic ad vocem „frigida" vocem „aqua" aut „urbs" supplendam esse duco.) E recensione *r*γ: schol. epod. 16, 28 *r*γ et praecipue schol. epist. II 1, 111 r_2*f*γ*E* „Dicit tanto studio se teneri, ut publice mentiretur se versus non componere, rediens domum ante solis ortum tabellam arripere". Constructiones cum voce „ut" et accusativi cum infinitivo hic inter se mixtas esse nemo non videbit.

Aliud temporum posteriorum indicium est, quod et maxime necessariae voces in scholiis desunt et minimum necessariae accumulantur. Et hic quidem recensiones mirum quantum inter se distant. Recensio *A* apud comparativum numquam augentem quandam vocem, ut „magis, amplius" praebet, quod in recensionibus Γ et *r*γ passim reperio: Schol. serm. I 2, 80—82 „Magis pulchriores" (*r*vγ); schol. epist. II 2, 153 „Amplius sapientior" (r_2v); schol. serm. I 2, 15 „Amplius graviores usurae" (*r*γ). Qua de re Wölfflinum consulas (lateinische und romanische Comparation p. 46).

Similia in infinitivorum accumulatione saepenumero accidere videmus; sed et hac in re recensiones illas maximam inter se exhibere differentiam monitum velim. Recensio *A* enim sola mirum quandam exhibet dicendi licentiam, ut: Schol. carm. I 17, 16 (*A*γ) „Quo dicitur divitias consuesse largiri"; schol. carm. III 4, 20 (*Ar*v*f*γ) „Sibi inesse velit intellegi"; schol. carm. III 29, 13 (*Ar*γ) „Dicit gratam solere esse", multa alia, praecipue schol. carm. III 26, 1 „Videri vult amare desinere".

Sed et valde necessariae voces in scholiastarum sententiis desiderantur. Saepenumero voces „sum, est, sunt“ desunt, quod quidem etiam optimorum temporum scriptores praestare nemo nescit. Maioris iam momenti est, si voces „magis, amplius, libentius“ ante comparativam particulam „quam“ desunt. Etiam hac in re recensiones inter se distant; in recensionibus *A* Γ sunt huiusmodi scholia: carm. III 3, 50 (*A r* γ *C*) „Fortis animus spernere debet quam in usus cogere“; schol. serm. I 6, 19 (*r* ν *f* γ) „Nos nonne debemus honorem merentibus quam nobilibus“. Talia in recensione *r* γ non inveniuntur. Summi vero puto pretii plurimos fere trium recensionum locos, quibus pronomina omittuntur, quae subiecta accusativi cum infinitivo esse debebant. Praecipue voces „se, eos“ saepissime praetermittuntur, qua de causa saepe quid intellegi velit scriptor parum clare apparet.

Auctor recensionis *A* et genus et numerum substantivorum variare solet, adeo ut multi errores ex hac re evaserint. Sed raro tantum eiusmodi errores in recensionibus Γ et *r* γ inveniuntur, quales sunt: schol. carm. I 12, 24 (*A r* ν γ) „Apollinem sagitta metuendum, quibus Amphion peremptus est“; schol. carm. III 1, 28 (*A r* ν γ) „Cadentis et orientis Haedi, quae...“ alia. E recensionibus Γ et *r* γ adnotaverim: schol. serm. I 8, 7 (*r* ν *f* γ) „Horti Mecenatis, ubi sunt modo Traianae“; schol. epist. II 1, 24 (*r f* γ *E*) „Decemviri, nam postea duae additae sunt“; schol. de art. poet. 146 (*r* γ) „Qui est dictionis genus“.

Longe alio aspectu frueris, si quomodo sententiarum constructiones in singulis recensionibus varientur perscrutari volueris. Ne unum quidem exemplum insigne e recensione *A* hic afferre possum, sed multa e recensione *r* γ, quam plurima e recensione Γ. Quorum perpauca hic proferamus.

E recensione Γ: schol. serm. I 1 init. (*r*νγ) „Epistolis ad absentes loquimur, sermone cum praesentibus"; schol. serm. I 1, 111. 112 (*r*ν*f*γ) „Ut dicat, quomodo avarus non patitur se esse pauperem, sed studeat..."; schol. serm. I 3, 114 (*r*νγ) „Qui caules eripuit et qui sacrilegium fecerit"; schol. de art. poet. 43 (*r*νγ) „Octavo libro ... in tertio"; schol. de art. poet. 213 (*r*νγ) „Propter inperitiam populi et quia nulla erat differentia"; schol. de art. poet. 262 (*r*νγ) „Neglegentia spondeos non admiscet, per imperitiam in incongruis locis ponit" multa alia. *E* recensione *r*γ: schol. carm. IV 9, 35 (*r*γ) „Prosperis rebus insolens sis, neque frangaris in adversis".

Iam nunc prolaturus sum quasdam singulares res, quas observavi, primo quaedam de verbis auxiliaribus. His verbis auxiliaribus posteriorum temporum auctores abundare omnibus compertum est grammaticis; quo imbecillior enim sermo fit, eo magis auxilii indiget. Quamobrem verbum auxiliare „dare" in posteriore recensione *r*γ sola invenitur (schol. epod. 3, 17 *r**f*γ „Induere dare tunicam"). In recensione *A* vox „esse" semel hac cum significatione occurrit: schol. carm. III 21, 9 (*A**r*γ) „Fluens est" = fluit; in recensione Γ et *r*γ saepius, velut: schol. de art. poet. 88 (*r*νγ) „Pudens est ille" = pudet illum; schol. carm. III 4, 77 (*r*γ*C*) „fuit cubans" = cubuit. Sed saepissime verbum „facere" in tribus recensionibus cum hac significatione occurrit, cuius usus maxime conspicua exempla sunt haec: 1. *E* recensione *A*: schol. carm. I 15, 24 (*A**r*γ) „Bene vaticinantem ut presentia videre facit futura"; schol. carm. II 4, 22 (*A**r*γ) „De quo iam aetas nihil obscenum faceret suspicari"; schol. carm. III 5, 7 (*A**r*νγ*C*) „Ut plus Augustum faceret eminere"; schol. carm. III 9, 1 (*A**r*νγ) „Lydiam respondentem facit"; schol. carm. IV

3, 19 (*A*) „Tu oblectare facis muta animalia". 2. *E* recensione Γ: Schol. serm. I 1, 91 (*r*νγ) „Ut asinum parentem faciat"; schol. serm. I 6, 31 (*r*ν*f*γ) „Facit homines quaerere". 3. *E* recensione *r*γ: Schol. carm. III 11, 2 (*r*γ) „movere fecit"; schol. carm. IV 4, 33 (*r*γ) „facit proficere"; schol. de art. poet. 123 (*r*γ) „fecit in maria desilire".

Sed pergamus ad ea, quae restant. Pseudacronianorum scholiorum auctores quaestiones „quo?" et „ubi?" permutant, qua quidem commutatione saeculis posterioribus nil frequentius esse notum est. Etiam hac in re recensiones inter se differunt. Nihil enim in recensione Γ ad hanc rem pertinet, paucissima reperias in recensione *r*γ [schol. carm. III 11, 29 (*r*γ) „Dampnantur in aquae penuria"], plurima in recensione *A*, ut: schol. carm. II 9, 23 (*A r*νγ) „Cum ante, ubi libuisset, excurrerent"; schol. carm. II 17, 20 (*A r*νγ) „Cum sol in Capricorno venerit; schol. carm. III 1, 11 (*A r*νγ) „Ibi descendebant"; schol. carm. III 1, 16 (*A r*νγ) „in urna mitti", alia.

Recensiones *A* Γ multis locis etiam pro pronomine reflexivo adiectivo „suus" genetivum pronominis reflexivi personalis „sui" eligunt, ut: 1. *E* recensione *A*: Schol. carm. I 3, 20 (*A r*ν) „sui altitudine"; schol. carm. I 3, 24 (*A r*ν) „brevitate sui"; schol. carm. II 15, 16 (*A r*νγ) „sui magnitudine sufficeret"; schol. carm. III 11, 21. 22 (*A r*γ) „dulcedine sui"; schol. carm. III 18, 1 (*A r*νγ) „celeritate sui". 2. *E* recensione Γ: Schol. serm. I 7, 27 (*r*ν*f*γ) „Ille simplicitate sui ait".

Denique addamus aliquid, quo luce clarius demonstretur scholia pseudacroniana posterioribus saeculis exorta esse, dico etymologias. Quis est qui ignoret, quanta in obscuritate scholiastae, si etymologias respicimus, versentur? Nam omnes fere etymologiae valde vitiosae vanisque hariolatio-

nibus refertae sunt et scholiastas sermonis Latini rationem iam non intellexisse demonstrant. Stultissime isti scriptores verba interpretantur, sutoris more, ut aiunt, laborantes, verborumque partes temere consuentes; omnium vero stultissime facit scholiastes *r γ*. Cuius rei exempla quaedam hic allaturus sum. 1. *E* recensione *A*: [Schol. carm. I 4, 16 (*A r v*) „Manes dii boni dicebantur, unde et mane tractum putatur"; schol. carm. I 25, 10 (*A r γ*) „alii dicunt angiportum vicum angustum et flexuosum in modum anguis vel ipso secreto serpentibus tutum, quasi anguis portum"; schol. carm. II 13, 21 (*A r v γ*) „Alii volunt furvae nigrae positum, unde et furta putant dicta, quod committuntur obscuro".] Schol. carm. I 26, 9 (*A r γ*) „Pipleae Musae dictae ... aut a veste, hoc est peplo"; schol. carm. I 27, 21 (*A r γ*) „Saga] Incantatrix et malefica dicta ab eo, quod satis agat". 2. *E* recensione Γ: Schol. serm. I 5, 100 (*r v f γ*) „Apella, quasi sine pelle"; schol. epist. I 15, 5 (*r v f γ*) „Murteta, quasi mortueta"; schol. serm. I 2, 62 (*r v f γ*) „Oblimare] Tractum a lima, qua fabri utuntur"; [schol. serm. I 5, 62 (*r v f γ*) „Campani, qui Osci dicebantur, ore inmundi habiti sunt, unde etiam obscenos dictos putant, quasi oscenos"]; schol. epist. II 2, 197 (*r v f*) „Quinquatri, quasi quinque atri dies"; schol. de art. poet. 67 (*r v γ*) „Velabrum, quod velis transiretur". 3. *E* recensione *r γ*: schol. carm. II 5, 13 (*r γ*) „Ferox dixit aut quae ferre valeat virum"; schol. epist. I 16, 60 (*r f γ*) „Laverna fortasse dicta sit a lavando, nam fures lavatores dicuntur"; schol. epod. 5, 30 (*r γ*) „Rastrum] *A* raritate dentium"; schol. epod. 5, 25 (*r γ*) Sagana a satis agendo".

Scholiastes *A* igitur etymologias profert, quae haud admodum damnandae videantur, scholiastes Γ autem in etymologiis vocabulorum „Apella" et „quinquatri" iam artis

grammaticae ultima et deterrima tempora nobis demonstrat; sed maxime profecto hac in re insanit scholiastes *r*γ.

Itaque non delectu solum verborum, verum totius sermonis ratione recensiones Pseudacronianas magnopere inter se differre demonstratum est.

IV. De ἅπαξ εἰρημένοις, quae in recensionibus *A*Γ*r*γ apparent.

Iam quidem eo processisse videatur nostra disputatio, ut perscrutandi finem facere liceret; sed cum sermonem recensionum *A*Γ*r*γ percenserem, ἅπαξ εἰρημένα quaedam mihi occurrerunt, quae hic adnectere operae pretium videtur. Itaque e recensione *A* 6, e recensione Γ 16, e recensione *r*γ 22 tales voces allaturus sum. Nam quo quaeque posterior recensio est, eo plura verba nobis ignota continet. Etiam hae igitur tabellae cum nostrae disquisitionis summa consentiunt atque denuo argumentum grave et significans ad recensiones diiudicandas praebent.

Insuper unicuique verbo breviter omnia adiuncturus sum, quae mihi ad haec vocabula illustranda pertinere videntur.

a) E recensione *A*.

1. **fucatio** = splendor. Schol. carm. III 28, 10 *A r*γ „Nereidum comae] Herbis similes aquae fucatione“.
2. **Hesper** = Hesperus. Schol. carm. II 9, 10 *A r*γ „Idem hesp̱ (esp̱ A .uesp̱ γ), qui et Lucifer dicitur“.

(Passim in Inscr., sed nomen proprium significans: C. I. L. II 3770. III 355. C. V 1008. 1389. et I. Neapol. 499. 6769. Col. 6. Neue, Formenlehre I 77.)

3. **impetuosus** = praeceps. Gloss. carm. I 3, 12 *Ar* „precipitem] Impetuosum“.
(Cfr. Forcell. II 473.)

4. **inlicitamentum** = illecebra. Schol. carm. I 27, 23. 24 *Arγ* „Inlicit. libidinum“.
[Illicitator, Decret. Episcop. ad S. Radegundis Epistolam a. 567 etc. (Du Cange III 838); inlicitator, emptor Festus (Forcell. II 532). illicium Varro R. R. III 16, 241 Bipont. (Forcell. II 455.)]

5. **pergyrare** = flectere. Gloss. carm. II 19, 17 *Arνfγ* „flectis] pergyras“ (pergiras *Aγ*).
(γῦρος = orbis; γυροῦν = flectere.)

6. **posinaclum** schol. carm. I 8, 11 *Arνγ* „Posin. dicebant certi ponderis discum“.
[„Possinaclum, certi ponderis discus, quo iuvenes in agone certabant, fortiorem iudicantes, qui ultra designati spatii finem iecisset. Haec Faber in Thesauro, qui ad Barthii Advers. (XXXV 2) remittit.“ (Du Cange V 370.)]

b) E recensione Γ.

1. **algiosus** = dolosus. Schol. serm. II 3, 5 *rνγ* „Algiosus fuit Horatius“.
(ἄλγος = dolor.)

2. **apparator** schol. serm. II 4, 47 *rνfγ* „Idoneus apparator conviviorum“.

[Inscr. Murat. 511, 1: „Rogator Mag. Quinq. Conleg. Apparat. Annal. it.“ Murator. putat illud „Apparat.“ esse idem quod „apparator“. (Forcell. I 203.)]

3. **convitiose** = per contumeliam. Schol. serm. I 5, 65. 66 *r* ν *f* γ „Hoc quasi in servum convitiose“.
(convicium.)

4. **erubescenter** schol. de art. poet. 88 *r* ν γ.
(erubescere.)

5. **hillus** schol. serm. II 4, 60 *r* ν_2 *f* γ (ter) „Hillae et hilli dicuntur salsa intestina“.
(= hilla.)

6. **hirrus** schol. serm. II 4, 60 *r* ν_2 *f* γ „Hirri positivus est (irri *r*), diminutive hilli dicuntur“.
[Hira = hilla, Macrob. Somn. Scip. I 6, 77 Eyss. Plaut. Curcul. II 1, 23 (238).]

7. **infalsus** = verus. Schol. serm. II 1, 19 *r* ν *f* γ „Qui infalsas blanditias (falsas bl. γ) admittat“.
(Infalsare. Forcell. II 514. Du Cange III 819.)

8. **mensuratim** schol. epist. I 14, 40 r_2 ν *f* γ.
[Mensurate, Fredegar. c. 84: „Sed in primis cum simplicitate rebus mensurate ditatus“ (Du Cange IV 363); mensuraliter, Hyg. de limit. constituend. p. 181, 15 ed. Gromaticorum Lachm. (Forcell. III 60.)]

9. **obtrectatorie** = convitiose. Schol. serm. I 2, 3 *r* ν γ „Mutato nomine obtrectatorie dicit“.
(obtrectare.)

10. **percompilare** = valde privare. Schol. serm. I 1, 78 *r* ν γ „Ne te percompilent (ꝑ compilent *r*) fugituri“.
(compilare.)

11. **prandiarius** schol. epist. I 4, 11 *r v γ E*.
[= prandarius, servus. Charta a. 967 in Addit. ad Chron. Casaur. ap. Murator. T. II. part. 2. col. 955 (Du Cange V 420).]

12. **prestigiatura** ≐ prestigiae. Schol. carm. I 10, 9 *r v γ* „Pharetram prestigiatura (prestrigiat. *r*. prestigitura γ) ademisti“.
(praestigiator.)

13. **regionare** = habitare. Schol. serm. I 6, 113 *r v γ* „Ad quam regionantes viciniores procedunt“.
(regio.)

14. **semiromanus** schol. serm. I 7, 1 *r v f γ* „Translative ergo Horatius laceravit Persium quasi semiromanum“.

15. **spadosus** schol. serm. I 1, 105 *r v f γ* „Multum interest inter eunuchum et hyrneosum, ut inter ramicosum et spadosum“.
[= spadoninus, sterilis. Plin. nat. hist. XV § 130. cfr. XV § 51. (Forcell. IV 150.)]

16. **violatrix** gloss. carm. II 13, 2 r_2 *v γ* „Sacrilega] Violatrice“.
(violator.)

Denique haec tria ἅπαξ εἰρημένα commemoranda tantum censeo: 17. **culire** (schol. serm. I 5, 38 *r v f γ*) „Culina, id est coquina, ab eo quod culiat (κυλίω) carbones“; 18. **mortuetum** (schol. epist. I 15, 5 *r v f γ*) „Murteta quasi mortueta“; 19. **repotare** (schol. serm. II 2, 60 *r v f γ*) „Repotia . . . dies secundus a nuptiis, quo repotant“.

Haec verba, quae scholiastes inter ridiculas illas etymologias (vide supra sub IV) affert, nil nisi recensionis Γ ad explicandas Horatii voces illis temporibus iam ignotas coniecturae putandae sunt.

c) E recensione *rγ*.

1. **adhaesibilis** = lentus. Gloss. carm. III 19, 28 *rγ* „lentus] Adhaesibilis“ (adhefillis γ).
(adhaerere, adhaesio.)

2. **antecantatio** schol. epod. 1 init. *rγ* „Προῳδόν . . . quasi antecantatio“.
[= antecantamentum, Apul. Metamorph. XI 261, 9 Bipont.: „Inter maiorum antecantamenta votorum“ (Forcell. I 184. Du Cange I 297); antecantativus, Mar. Victorin. p. 2500 (Forcell. I 184).]

3. **antralis** gloss. carm. III 13, 14 *rγ* „cavis] Antralibus“.
(antrum.)

4. **archiposia** schol. serm. II 6, 69 *rfγ* „Insanas leges archiposiam dicit“.
(πόσεως ἄρχων, convivii rex.)

5. **burdus**, equorum genus. Schol. epod. 4, 15 *rγ* „Equi, quos vulgo burdos vocant“.
(V. voces „buricus“ et „burdo“ in Forcell. et Du Cangii libris.)

6. **calopodia** gloss. serm. II 3, 106 *rγC* „formas] Calopodias“.
[Calopodium in Regest. Capituli Autissiod. 15. Decemb. a. 1460 et in Bulla Innoc. VIII. a. 1484 in Continuat. mag. Bullar. Rom. p. 288. (Cfr. Buschium ap. Leibnit. Script. Brunswic. II 913. Forcell. I 371. Du Cange II 37.)]

7. **devindicare** schol. de art. poet. 122 *rγ*.
(vindicare.)

8. **dissipidus** = dissolutus. Gloss. serm. II 4, 16 *rf*γ „elutius] Dissipidius (disipidius *r*γ) dissolutius".
(dissipare.)
9. **effusim** schol. epod. 13, 2 *r*.
(= effuse.)
10. **familiosus** schol. epod. 2, 65 *rf*γ.
(= familiaris.)
11. **frivole** schol. serm. II 6, 47 *r*γ „Cum mihi res frivole crederetur".
(frivolus.)
12. **hortative** schol. epod. 16, 23 *r*γ.
[Hortativus, Quint. V 10, 215 Bonnell. Prisc. XV 35 Keil. (Forcell. II 424.)]
13. **ilicinus** gloss. serm. II 4, 40 *r*γ „glande] Ilicina".
[= iliceus, Stat. Theb. VI 101: „Ornique iliceaeque trabes". Sicul. Flacc. de condit. agror. p. 4. Goes. (Forcell. II 452.)]
14. **infastus** = incestus. Gloss. carm. III 6, 23 *r*γ „incestos] Infastos".
(nefastus.)
15. **laudative** schol. epist. II 1, 174 *rf*γ.
[Laudativus, Quint. II 15, 87. III 4, 112 Bonnell. (Forcell. II 639.)]
16. **paludetum** schol. epod. 5, 58 *r*γ.
(paludamentum.)
17. **poetricus** schol. carm. III 4, 6 *rf*γ *C* „Amore poetrico".
(= poeticus.)
18. **postcantatio** schol. epod. 1 init. *r*γ „'Επῳδόν dicitur quasi postcantatio".
[Postcantativus, Mar. Victorin. p. 2500. grammat. lat. edit. Keilian. vol. VI fascic. 1 p. 56. (Forcell. I 184.)]

19. **procantatio** schol. epod. 5, 76 *r*γ.

[Procantus, Charta I. Rabbodi Episcop. Noviom. a. 1088 ex Chartul. S. Vinc.: „Presbyter... de abbatis ... procantum accipiat". (Du Cange V 459.)]

20. **querelose** schol. epod. 1, 1 *r*γ.

[Querelosus, Ferreolus in Regula c. 7. Adelmus de Virginitate c. 4. Flodoardus Hist. Remens. II 3. (Du Cange V 557.)]

21. **repandulus** gloss. serm. II 4, 34 *r*γ „pectinibus] Repandulis".

(Demin. à „repandus"?)

22. **subcutaneus** gloss. carm. II 2, 13 *r*γ*C* „hydrops] Subcutaneus morbus".

(Qui sub cute est.)

Hic duo verba subiungenda censeo: 23. **novata** (schol. serm. II 6, 36 *rf*γ) „Scribae et novatae ... novatae, quia novaverunt debitum". Scholiastes sane hic „novatae" mendose in carminis contextu pro „nova te" habuit; 24. **levator** vel **lavator**, quae vox valde dubia est (schol. epist. I 16, 60 *rf*γ) „Laverna in via Salaria lucum habet. Est autem dea furum et simulacrum eius fures colunt, aut qui consilia sua volunt tacita; dicta a lavando; nam fures lavatores dicuntur". (Forcell. II 639. Du Cange IV 41. Hildebrand p. 186. not. 4. 5.)

Iam vero, ne molestior fiam legenti, summam eorum, quae e disputatione nostra manifeste evenerint, hic paucis repetam:

1. Pseudacroniana scholia tres inter se distantes recensiones continent; 2. Recensio *A*, ut ex iis, quae supra exposui, efficitur, circa annum 450; 3. Recensio Γ non ante medium saeculum sextum; 4. Recensio *r* γ saeculo septimo in lucem prodierunt; 5. Sermonis ratione et cum aliorum vocabulorum delectu tum eorum, quae ἅπαξ εἰρημένα appellantur, tres illae recensiones maxime inter se differunt eandemque speciem praebent, quam omnino istorum posteriorum temporum libri praestare solent.

INDEX VOCABULORUM,

quae sunt posterioris aetatis.

Typis descripsit Adolphus Holzhausen,
typographus C. R. Aulae et Universitatis Vindobonensis.